

AN. 231. *Ac Num opifiles. Biblioth. fueras*



LYCEI ZVICKAVIENSIS
INSPECTORES LONGE GRAVISSIMOS

E T,

QVI BONIS LITTERIS FAVENT,

O M N E S

A D

ACTVM VALEDICTORIVM,

CRASTINA, DEO VOLENTE,

LVCE, HORA VIII-IX.

IN PRIMO AVDITORIO INSTITVENDVM

EA, QVA PAR EST, HVMANITATE,

ET REVERENTIA,

I N V I T A T

M. CHRISTIANVS CLODIVS, LYC. RECT.

ET BIBLIOTHECARIUS

SOCIET. TEVTON. UT ET LIBERALIVM ARTIVM LIPS.

ET IEN. LATINAЕ

MEMBRVM HONORARIVM.

A. AE. DIONYS. CLO 15 CC LV. III. NON. MAY.

LIBRARIUS LITTERIS IOANNIS FRIDERICI HOEFERI



LUDVICVS BAVARICVS M[ARIA]R[EGINA]S
INTERC[ON]VENTUS JONAS GE[ORG]IUS SISMONDI

ET

OB[ER]BON[DI]CTT[ER]T[ER]TIALENT

OMNIB[US]

ET

ACTVM A[UGUST]IN[US] C[ON]STITUTI

C[ON]VENTU[MA] D[OC]E[RE] V[IR]TUE[TE]

IV[er]SO[rum] M[od]O[rum] V[er]ITATI

IN LITIMO A[UGUST]IN[US] C[ON]STITUTI

EV[angel]I[us] P[re]F[er]EST H[ab]ITU[MA]T

ET LITERATU[MA]T

TATIV[IT]

M[od]ELLO[rum] C[on]STITUTI P[ro]FEC[er]T

ET C[on]STITUTI

SC[ript]ORIUM T[er]MINI A[UGUST]IN[US] C[on]STITUTI

ET C[on]STITUTI

SC[ript]ORIUM C[on]STITUTI

SC[ript]ORIUM C[on]STITUTI

SC[ript]ORIUM C[on]STITUTI

SC[ript]ORIUM C[on]STITUTI



Multæ fuerunt rationes, quibus inducti NUMPHYLACIVM quoddam in Bibliotheca nostra instruere coepimus. Primum, quod ab eo inde tempore, quo cum ipsis Scholæ gubernaculis etiam Bibliothecæ curam suscepimus, nihil earum partium nos intermissuros esse spondebamus, quod ad eam conseruandam, ampliandam, ornandamque conferre quounque modo posset. *a)* Accedebat mos seculi, & tot præclara numophilorum, ex omni terrarum loco emergentium exempla, qui, præfertim hac tempestate, in omnem antiquitatem, atque adeo in ipsa terræ viscera se penetrant &, velut augures futuri temporis, se vivere posse desperant, nisi ingentem vim signati auri, argenteique, velut e naufragio tabulam, in arca collectam, conclusamque teneant, serisque nepotibus afferuent aliquando monstrandum. *b)* Adde, quod fere omnium Bibliothecarum ita mos sit, vt, ubiunque mediocris saltæ librorum rariorum modus extat, ibi etiam præter chartas & membranas afferuentur numi, luculentí illi rerum ante nos gestarum testes. *c)* Denique me veluti manu adduxit quantulacunque illa argenteorum flanneorumque numerorum congeries, quam

A 2

cum

a) Vermöge der 1739. den 19. Nov. erhaltenen und mit Hand und Siegel unterschriebenen Instruction, und das Jahr darauf beschlehenen Eidsformul bey der vollen Übernahme der Bibliothek, darunter auch insonderheit der Münzen, und deren treuliche Bevorgung gedacht worden.

b) Hoc currens seculum, si quod inquam aliud, numphilorum feracissimum arbitror, quot enim e ruinis & ruderibus numitor e prelo prodierunt eorum indices chartæ; vid. Doederlinius de numis mediis xpni,

c) Solet quoque Bibliothecariz curæ addi NVMPORVM, marmororum vetustiorum & RARIORVM NATVRAE collectio, ut omnia illa, quæ ad ingenii culturam pertinent, vno loco velut in HORREO aut PROMTARIO, congerantur. Morh. Polyh. T. I. L. I. C. 6. §. II.

Der Nutz der Münzen, sowohl der Gr. als der Römischen ist unglaublich. Siehe Gundlings Discours vornehmster Wissenschaften. T. I. p. 344. it. Anon: Dialogues upon the usefulness of ancient Medals

cum ipsa Bibliotheca suscepit, nescio, vtrum Zechendorfii, an Daunii, Rectorum studio acquisitam? *d)* certe posteriorum Mulleri, Winteri, praeceps Vinholdi non contemnendis accessionibus auctam, cuius nimurum industrie in acceptis ferimus varios nummos & numismata currentia zui, in diuersis capsulis, charta involuta, & suo quaque numero prouide signata *e)*. Calcar addidit adueniarum curiositas, qui non editiones illas Aldinas, Frobenianas, Stephanianas, aut antiquos illos raros aut catenulis ferreis alligatos codices, artifici monachorum, recutitorumque manu scriptas, & egregie pictas, sed **N**UMMOS requirebant antiquissimorum temporum, ex omni terrarum parte collectos; Quorum tamen voluntati seruire, et si libentissime vellem, agre pottu, tum, quod pauci illi essent, iidemque, si a Graecis quibusdam, Romanis, Episcopatibus, Gothicis, bracteatis & concavis discesseris, non adeo rari, multi stannei vel plumbi, cum, quod e Schedulis & capsulis erui, perlustrarique sine summa nostra adveniarumque molestia non possent. Superuenit bellum Borussicum, cuius terrore perculsi, cum & ipsi Scholæ, & quæ eidem contigua est, Bibliotheca inueniendum esset, arcuam illam ligneam, quæ capsules continebat, meo sigillo obsignatam credidi manibus S.R. D. Siegfridi Beckii Ephori & Inspectoris Bibliothecæ Prouidentissimi, eo consilio, ut, quicquid rerum pretiosarum in ea esset, (erant etiam præter nummos alia quædam Bibliothecæ cimelia) securo loco deponi, recondique curaret. Fecit. Transacto igitur bello, ubi tuta omnia & veluti in vado essent, repetii istam meam arcuam et manibus Palinuri nostri, saluam, vt tradideram, & intactam. Itaque veluti tabulam quandam votiuam suspensurus in templo Mnemosyne, non Joui illi opitulatori, flatorique, sed auerunco vero Deo, qui cum belli tumultibus, ipsa quoque pericula absterferat, (neque enim urbis aut Scholæ ciues hostem viderant) omni consilio, cura, industria, intentisque omnibus ingenii, animique nervis, ad colligendos, yndecunque locorum fieri posset, coaceruandosque nummos nos accinximus; et si, vt ingenuo fatear, e quo potissimum fonte riuiulum illum ducarem, aut quibus impensis rariores id genus, nummos, expedirem, tum nondum intelligebam. Scilicet

Omine, quod excellens opus, & sublime futurum,
Difficiles ortus habet, incrementaque tarda.

d) Extat in MSC. LXX. numerorum Romanorum argent. index, qui testamenti tabulis Bibliothecæ nostræ legati sunt a Lyc. Schnebergensis ConR. Hieron. Freytag v. Meltzers Chronic. Schnebergensis. p. 354.

e) Vinholdi, Rectoris vñ ev æcylor, prævidentia debemus XLIV. numismata argentea, cuprea, stannea, hujus & superioris zui,

Quan-
nec non annulum quendam argenteum Tur-
cic. inauratum cum lapide, aerizusæ Jaspidi
quam simillimo, ab obsidione urbis Viennæ
ultima, detractum a dito cæsi nobilioris
Turca, comparatum ex Aerario Scholæ
vid. Zwick. Bibliothecæ rechnung ab anno
1700. bis 1740.

Quanquam enim et is non eram, quem cum auaro illo apud Juuenalem
optare memini:

Diuitiae vt crescant, vt opes, vt maxima toto
Nostra sit arca foro &c.

Tamen Gazophylaceum nostrum, vt haec tenus, otio marcere diutius & cum situ
& exergine rixari, iniquum arbitratu\$, manum applicabam operi, et, vt, praefisciri dixerim, quoniamcissime ditescerem, omnem mouebam lapidem. Enarrabo singula. Ante omnia numos, quotquot essent, ex arcu illa, ipsisque capsulis protractis justo ordine dispostis, in crassiore mappa chartacea, ope circini cultellati, ita, vt uno velut obtutu\$ tota petulstrari tabula, et singuli, quo-
ties opus esset, numi sigillatim protracti, et poscentibus monstrari possent, certa spe fretus, fore, vt, vel ex ærario Scholæ, vel amicorum adminiculantium liberalitate, vel e commercio litterario cum viris earum rerum curiosis insituendo, id genus numuli conseribi colligique possent. Fauebat coeptis bona Dea, plena, quod ajunt, manu, plenis calathis; quid bona Dea? Ipsi Plutus, numerorum præses, quem, vt vt cocum esse fingunt Poete, nos oculatum ex-
peri sumus, et tantum non ipse Jupiter ex machina. Nimurum, quoties accede-
bat vir quidam eruditus, aut ciuis reipublica honestus, aut adueniarum aliquis,
ego illi non solum libros, quos vellet, longa serie monstrare, verum etiam insi-
tutum meum pluribus verbis exponere, commendare rem numismaticam, allega-
re cordationum exempla, collaudare Majorum in rem librariam merita, depre-
dicare MVNIFICAS EPHORI, & SENATVS AMPLISSIMI MANVS; ille contra,
si bonus esset, coeptis plaudere, sua insuper polliceri studia, et, quicquid in
viribus positum esset, spondere, & recipere; si malevolus, nescio quid? clam
secum missitare, nares constringere, ringi. Nec hoc institutum nostrum ipsi
adeo Ephoro, Summe - Venerabili, Grauiissimique Scholæ Patronis displicuisse,
vel inde luculenter appetet, quod non solum ex sua QVISQVE pera, strenue
conferret symbolam, verum etiam ex ærario Scholæ, non contemnendam
numerorum rariorum copiam, a fortuna oblatam, parata pecunia redimere, &
NYMOPHYLACII nostri Tabulis, mancipare dignarentur, probe gnari: Scholæ
rerum publicarum præsidia, Bibliothecas scholarum adminicula, & ful-
cimenta, NYMOS Bibliothecarum cimelia & condimenta esse. Ut enim dic-
cam, quod res est, nemo vnuquam litteras in pretio habuit magnopere, aut ha-
bere posse creditur, quin aliquo vetustatis sensu imbutus, amauerit Antiquita-
tum, Iudaicarum, Græcarum, Romanarumque veneres.

Ecquid vero ex omni rerum gestarum, conditarumque memoria antiquis,
aut memoratu dignius, quam illa lumina temporis, custodes rerum, veritatis,
virtutis & morum testes, numi? quos nescio, utrum ultimis abhinc retro
seculis, certe inde a fatali illa undarum eluvie, & Abrahami tempore, mor-

talibus innotuisse, ipse sacer codex sat idoneus est testis. f) Evidem scio, & utnam nescirem! cum ignarissimi, plures dari suffenos, qui, dum nihil probant, nisi, quod ipsorum moribus conueniat, ut omnem antiquitatem, &, quæ ex triplici regno naturæ colligi solent, rariora, ita ipsius rei numariæ studia insuper habentes, veluti rem otiosorum hominum & ardelionum, ex ergastulis Scholarum prorsus exulare volunt. Non enim nego fuisse, qui hoc institutum nostrum fuggillabat hoc dilemmate: Numophylacium vestrum, quod instruitis, aut magnum erit, aut parvum; si magnum, non habebitis ad comparandum vires, si parvum, ridebitimi. Cui ego disputantium more, datur, inquam, tertium, scilicet mediocre, cornu in adversarium retorto, his verbis: Bibliotheca Tua, bone Vir, quam colligis, aut parva erit, aut magna; si parva, rideberis, si magna, non habebis ad comparandum vires. Tu tamen nulla ratione paucitatis habita, nullo obstante hominum risu aut ludibrio, libros in dies accumulas, & adornas bibliothecam, si, neque mole magnam, neque parvam numero, certe intra mediocritatis terminos hæsuram, non sine laude, cum insigni emolumento Tuo; ego in commoda rei litterariæ, vel, si hoc nimis arrogans est, in usum Juventutis studiosæ, quam & hanc eruditio partem à limine salutasse, vel primis saltæ, ut ajunt, labris attigisse, pulchrum existimo. g) Et quem pudeat mediocrem haberi, cui tam felici esse non licet, ut magnus sit? Ipso nimurum Tullio teste, semper minus est, si aliquid sit, b) quod majus esse possit, seu, ut ipse ore magis rotundo loquitur apud Marcellum: Quicquid est, quamvis amplum sit, id certe parum est, cum est aliquid amplius. Bibliotheca Guelerbytana, quam ipse vidi, meo quidem sensu magna est; sed, si cum Vaticana, Vindobonensi, Parisina, aut cum antiqua illa Alexandrina conferas, aliquanto minor, tamen satis magna, satis præclaræ, satis splendida. Succedebat aliis, majori voce, & ad ravim fere clamitans: Numi vestri in arca positi jacebunt

fine

f) Gen. XXXIII. 19. Abrahä ein Stück Ader's um 100 gr. vulg. C. Numis. Castellio imitatus est vocem Hebr. ΜΟΥΡ, centum quæstis, Gall. pour cent pièces d'argent. LXX. Vir. ἐνοτούς πέμπει, fortasse figuram agnigesserunt numi. Et certe R. Akiba restatur, se in Africa audivisse numum ibi nomini ΜΟΥΡ Conf. Hiob. XXXII. 11. Ein jeglicher gab ihm einen schönen Groschen. v. Wafer de Nomis Sacris, L. II. c. 15. p. 89. confer. D. V. E. Loescheri Strom, Sect. VIII. de Usu num. vet. p. 161.

g) Non ullam vero alias ob rem tanta conquiruntur industria Græcorum, præseruum,

ac Romanorum numismata, quam propter usum & præstantiam singulararem, quæ ad omnes eruditos respicit, & præcipue JUVENTUTI STUDIOSÆ hanc aperiit volumus viam, v. Auct. Rei Num. Compend. Dresden. & Lipsiæ 1753. in præfatione.

b) Ejusd. sententia fuit Ascreus, qui his ea de re verbis differit: Νύσσαι εὐδίασσαν ἔστω πλέον ἡμετοι παντός. O. & P. p. 40. Plato de Legè, L. III. & Arist. in Politic. diserte dicit: præ totu[m] præstare dimidium.

sine foenore, otiosi, & capiti, quod ajunt, inutili & mortuo similes; i) cui
ego: Et Libri nostri, quorum ingens in bibliotamio copia est, magno pretio
acquisita, jacebunt sine foenore, &, vt ait ille, ἀνεπαγέτω τόκε. Hi pos-
sunt, inquit, evolvi, legi, excerpti, verti in succum & sanguinem. Ohe! bone
Vir! etiam numi possunt voluntari, legi, excerpti, explicari, applicari ad diluci-
dandas omnium temporum, rerum, locorum, populorum, familiarum historias.
Interrogat nescio, quis? quid numi essent? Numi sunt, inquit, libri aurei,
argentei, aut aerei, rerum ante nos gestarum testes, & custodes, in Laconicam
brevitatem redacti, belli visu, tactu faciles & amabiles, universo mortalium
generi apprime utiles, &, si necessitas postulat, majori emolumento futuri,
quam omnes veterum Libri Albi, aut codices manuscripti, Arabici, Turcici,
Rabbini, aut Graecorum Scholiaſta. Finge, fodes! si tam numerorum par-
cus, si tam frugi es Reipublica, si tam futuri providus, finge, inquam, redire
Holkiem quendam, aut Torstensohnium, copiarum hostilium duces, et impe-
rare Calopetres Tuis ingentem Joachimicorum summan, quam nisi quanto-
cylime expadias, minari incendium, necem & ruinam; Quid tum valebunt
isti pulchelli quidem & rari codices Rabbini & scholiaſta? aut primigeniae
editiones Faustinae, non penna plumali, sed perpulcræ arte Germesheimii
efformatae? argentam imperat, non papyrus. Memini a Bibliothecæ quo-
dam in Saxonia præfecto virum quendam, rem numariam collaudantem his
correptum esse verbis: Cui usui inserviet institutum vestrum argenteum? nulli,
opinor, nisi, ut vestri ævi homines habeant crepundia, quibuscum puerilem
in modum lusifent, aut quod palpent, contrectentque digitulis, radant & ruspren-
tur ungueculis, emetiantur ocellis nudis vel armatis; posteri, quod compilent,
aut dilapident, aut si omnino rem omnem veluti in sacrario vel larario affir-
vent, situ & ærugine torpore finant, nulla ratione habita vel discentium, vel
reipublica litteraria. Quasi vero omnis posteritas tam improba, tam scelerata,
tamque sacrilega futura sit, ut, quæ stupenda majorum industria, incredibili
nostro sudore, per longos annos, per multas dies, & noctium partes, valido
sepe numerorum impendio acquisita sunt, uno velut epulo abligariat, dissipet,
dilapidet, &, quæ ab omni saniore judice probari intelligit, veluti cascas nuces,
aut puerorum crepitacula abiciat aut conculeat pedibus. Nos, quæ a Majori-
bus accepimus cimelia, sollicite asservamus, non dicam superstitione: Quæ
tam inepta & insulsa, tam immanis & barbara, tam denique ab omni huma-
nitatis sensu remota erit posteritas, quæ hæc omnia nostra non solum bona fide
affervet.

f) Quod avaris suo quodam jure objecit Hor,
Sat, I, L. I,

congestis undique Saccis
Indormis inhians, & tanquam parcere sacris,
Cogeris, aut pictis tanquam gaudere tabellis,

asservet, tueatir, & custodiat, verum etiam cum eruditis viris communicet, & si detur occasio, novis accessionibus adaugeat & locupletet? Custodire vero tenebitur duplici catalogo, altero in Bibliotheca, altero in curia sancte affervato. Adjectit & hoc: numos eodem commodo, & breviori quidem via noscitar possit ex eruditorum scriptis & figuris, quam ex arca numis resertissima; cui ille: ergo & tu e catalogis & librorum indicibus, quicquid librorum cognitu necessarium putas, hauries, circa pretium & molestum librorum pluteorunque apparatum. Evidem scio, eadem vanitate a personis privatis libros interdum comparari stupendo numerorum impendio, & in magnam coacervari molem, quorum omnium, si a fastu & ostentatione liber fuisset animus, notitiam e catalogis aut ephemeridibus eruditorum haurire &, si penitus nosse, libido incessisset, ex aliorum bibliothecis repetere potuissent. Neque audiendi sunt illi, qui nescio, quam? nobis objiciunt frontis impudentiam, quasi hi numi nostri non ubique praesentia pecunia (quanquam & multos pretio parauiimus;) sed ex aliorum copiolis, mendicorum consuetudine, colligi, corradi et confarcinari soleant. Iti vero, qui ita sentiunt, idem illud de quolibet censu, quem e ciuium, sepe etiam extraneorum munificentia, in usum publicum, & causas, quas ajunt, pias, collectari notimus, suo quodam jure crepare possent. Non nego, me haut contemnendam numerorum partem accepisse manibus ditionum hominum, sed, quid tum? non mihi, aut meis corras, quae multorum est corradi ratio, quicquid numerorum corras, sed discipulorum usibus, ad omnem posteritatem perennaturis. Et quae amabo! vel in his, vel vicinis, aut remotis, terrarum urbibus, Bibliotheca est, quae non egregius eruditorum, aut illustrium personarum lautis innumeris ornata, ampliata, aucta sit? Ipsam adeo Bibliothecam nostram Zwickiensem, quanta quanta est, non solis xarrii nostri impensis, verum etiam exterorum munificentia primo inde a tempore auctam et ornata esse, ecquis est rerum notissimarum adeo ignarus, quo minus intelligat? k)

Agite dum igitur boni Viri, et quotquot estis, aut fuistis, animalia beneficia, munifica, magnifica, si quos in arca tenetis, rariores numos, vobis non adeo charos et viles, nobis autem oblectamento, usuique futuros, largimini, impertite pro virili, certa spe freti, fore, ut in commoda Iumentutis scholasticae, et in sempiternam nominum vestrorum memoriam afferventur. Si autem conditio displaceat, numum numo commutate, habemus eorum duplos, triplos, quaduplos, aut pretio parari jubete, parabimus.

Si

k) v. Progr. nostrum de origine & incrementis Bibl. Zwick. 4. 1751. p. 2. 3. 4. item Ludovici Schuf-Hiss. p. III. p. 182. conf. Epist. Daumii T. II. p. 48.

Si neutrum placet, asservate in loculis. Ineptissimi autem omnium mihi videantur illi, qui, quum nihil magnopere, quod reprehendant, habent, non verecundantur vocem rumpere his verbis: quam denique inibis aut coaeuorum, aut posterorum gratiam? eam, bone Vir, quam Tibi dicunt, referunt, habent, quibus benefecisti. Quotusquisque mortalium adeo blennus, bardus et tardus est, vt nihil a quoquam recte agi posse putet in gratiam reipublicæ, nisi quod aut parata pecunia, aut demaestatis centum laudum pensari videat hecatombis? Næ! ille quidem audacter impudens, silice quovis, et ferro durior est, qui ex officio, cui præst, mercatum facere, aut nundinari instituit. Id quod mea quidem sententia ab ingenio boni Ciuis longe remotum est, quippe qui sociali lege obstrictus, reipublicæ commodis citra spem laudis et proximii servire tenetur, solo virtutis studio. Tantum præterea abest, vt illum de republica recte meruisse credam, cuius cives eum laudibus extollunt, et beneficiis ornant, vt potius ostracismi jure ridendus, explodendus, pedibus culcandus sit. Simonides, nescio utrum Poeta Græcus, an quis alius, ab amico, cui bene fecerat, gratiam relaturus, cum magna spe decidisset, duas inquit, arcas domi habeo, vnam gratiarum, alteram argenti, et, siccibi necessitas exigit, gratiarum quidem arculam aperio, sed eam inanem plenarumque invenio, alteram vero solam mihi commodam, argenti plenam, meo scilicet sudore et labore acquisitam. Agmen claudat buccina: Gloriolam in mustaceo querit. Esto! Enitar, vt mihi ipse sim tanti, quanti videbor aliis, si mihi fuerim.

Sed ne rediuviam curare videar, neglecto capite, jam in arcem ipsam inuidam, iisque scrupulom exemptum ibo, qui, vi de vnu et necessitate rei numismaticæ: ita de Numotanii nostri vtilitate et præstantia vehementer dubitant. Actum agerem, si in his, non dicam exornandis, sed tantum enumerandis justo prolixior esse vellem? (*Quem in finem rem numariam laudasset Spanheimius?*) Multum conferre ad Reipublicæ felicitatem, non ea solummodo nosse, quæ ante pedes sunt, sed eorum quoque, qua remota, aut longo temporum terrarumque intervallo ante nos gesta sunt, notitiam imbibisse, nemo temere inficias iverit, cui rectum de rebus obtigit judicium. Quamobrem pia et futuri provida antiquitas, seris consultura nepotibus, in id sedulo intendit digitum, vt, cum sua omnia fluxa, fragilia, evanida et caduca esse intelligeret, ad posteros extaret aliqua memoria sui, machinata est monumenta quædam, nulla, vt credebant, diuturnitate temporum, nulla coeli, tempestatumque intemperie, rabieque interitura. Ita de Setho commemorat *m) Iosephus*, duas fecisse columnas; vnam lapideam, quæ flammis, alteram

alhenicam,

m) L. I. Antiquit. Iud. C. IV.

aheneam, quæ vndarum injuriæ opponeretur. Ecce autem incomparabiles antiquorum temporum columnas, tabulas et custodes memoriarum, numos laureos, argenteos, æreos, non vno loco fixos, quo vnâ perire possent omnes, sed per remotissimas terrarum partes, veluti de industria sic ad gubernante Fortuna, dispersos, dispositos, asseruatos! Prouisurus nimirum Deus ter O. terque M. futurorum temporum memoriarum, numos fieri curauit, eius materiae, qua et effet ad longinquitatem annorum durabilis, et quam in deliciis habitueros prævidit omnium temporum homines, omniumque terrarum incolas, paucis barbarorum exceptis, ⁿ⁾ eosdemque ab initio quidem rudes, inanes et vacuos, ad libram solum modo et lanceam pensiles: intercedente vero tempore, omnium nemorabilium rerum signis et indiciis refertissimos, atque adeo mortalium generi ad pernoscendam veritatem eorum, quæ longe ante nos gesta sunt, oppido necessarias. Quemadmodum enim ex astris, quannus a sensu oculorum remotissimis, et exigua saltem luce conspicuis, in re dubia, fibi consulere consueuerunt nautæ ad navigationem per omnes oceanii tractus, etiam asperrimos, ingrediendam: ita omnium ordinum eruditis abstrusissimas saepe materias ad antiquissimos numos, veluti ad Lydios lapides aut cynosuram exigentibus, quid lucis pepererit numerorum antiquorum qualiscunque cognitio, verbis, pro amplitudine rei sat idoneis definiri nequit. Ut enim de facris dicam, quis nescit in probandis sanctioris Doctrinæ capitibus incomparabilem rati numerarum utilitatem? Ita me loqui fecit communis rerum experientia, et Excellentissimus, dum viueret, jam inter cœlites, Lœscherus, ^{o)} et Schlegelii Biblia in numis ^{p)} quorum exemplis longa serie recensendis L. B. defatigare religioni ducimus. Iuris etiam Consultis multum luminis ad explicanda L. L. vincula, et enucleanda Romanae Ciuitatis jura e Studio numario adfussum fuisse erudite, ut sua omnia, demonstrauit cum Illustri Spanheimio Morhofius in Polyhistore. ^{q)}

Etiam salutari Arti multum profuisse rem numismaticam, vel inde efficitur, quod multorum animalium, seminum, plantarum, florum, corticum, radicum,

ⁿ⁾ Die Fjælder bedienen sich des Gels des wenig oder gar nicht, anstatt der Scheidemünze bedient man sich des Stockfisches, e. g. 1. Spec. Thaler gilt 48. Fjæder, eine dänische Krone ist vom König gesetzet zu 15. eine doppelte zu 30. Fjæder. Vid. D. Joh. Anderon Nachrichten von Fjæland, Grönland und der Straße Davis. p. 144. 145.

^{o)} De vnu num. Vet. in stud. Th. Stroem. T. I. Sect. I. p. 153. 154. len. 1964.

et Vit. 1695. it. Pignorius Ep. Symbol. XVI, Illustrissimus Spanheimius, de Vnu numorum, I. c. p. 30.

^{p)} M. Christian Schlegel's kurzer Entw. der vornehmsten Bibl. Sprüche und Historien, auf Medaillen, Ducat. Thal. und andern Münzen

^{q)} Tom. III. I. VI. Sect. 3. §. 7. Spanh. in Dissertatione, de Vnu et præstantia antiquorum numismatum. Tom. I. p. 165. it. 293. seq.

dicunt, humanæ valetudini inferuentium nomina, virtutes et vires æterno ignorantia sapientia obsecra jacuissent, nisi ex ea forma et figura, quas remotorum terrarum incole numis impresestan exactissimas, in lucem protracta, et medicantium infinitis usibus, veluti postliminii jure, vindicata fuissent. Historiae Romanæ quanta, vel quam bona pars non debetur Studio numismatice? r) vnde tot excellentissimorum Virorum nomina, res gestæ, filii et nepotes, quorum familias ab ultima inde profapia nosse et pernosse expediebat, ad hæc usque tempora conseruata, et velut et stemmate surculi, traducta esissent? Quantum lucis et splendoris acquisiverit ipsa Illustris Saxonæ Vtriusque Gentis Principum familia, e numorum Studio, s) testantur splendidissimi illi Commentarii, quos ex sola hac massa numaria velut è cinere scintillæ, e scintilla igniculi, exsuscitatos esse constat. Ipsa vita Lutheri et Historia purioris doctrinæ Evangelicae et numis illustrata quot Scriptorum errores fere inextricabiles endauit? t) Quantum emolumenti ex ipsare numismatica hauserunt Ephimerides litterariz? u) Quot eruditorum, & illustrium personarum nomina, insignia, & res, in pace & bello gestæ, cum ipsis virorum corporibus sepulta, & sempiternis obliuionis & ignorantiae tenebris obruta jacuissent, nisi una cum antiquissimis numinis et vetustissimis urbium ruinis & ruderibus errata, ferae posteritati innotuissent. n) Eant igitur rigidulae, vagulae, blandulae Numismatum animulae, inuercundae illæ, ut rei metallicæ, ita numismaticæ contemtrices, perfricent frontem, si quam habent, & nullam esse vilitatem & præstantiam numerorum vociferentur, qui, si suas merces extrulum eunt, se pulchros & beatos praedicant, laudatores, commendatoresque reperire plures, nobis etiam in hac parte pollicem premere, & suo nos juuare calculo, non diutius absistant. Et qui tam exiguae voluptatis visuram nobis inuident? præcipue nostræ terræ homines? An parum constat, ipsam Zwickaviam nostram, ut omnium bonarum artium aliam matrem, ita omnis generis, antiquissimorum, mediiorum, recentiorum, bracteatorum, majorum, minorum, immo & solidorum officinam fuisse? x) Turpe igitur, meo quidem

B 2 judicio,

r) V. Heinr. Meibomius de Usu numorum
Vet. in illustranda Vetus, Roman, Hist. Helmst.
1684. it. Spanh. c. I. T. I. p. 368.

s) Wilh. Ern. Tenzelius, in Saxonia
Numismatica, Lin. Ernst. et Albertina. L.
et Frf. 1714. Merh. c. I. L. V. c. II. §. 2.

t) V. Christiani Iunckeri Vit. Luth. et
successuum Reformationis. Hist. Numis
CXLV. illustrata, Tr. f. et Lips. 1699. 8.

u) V. Tenzelius l. c. Numi interdum
plus loquuntur, quam Auctores,

x) V. Chr. Schlegel. de Num. antiquis
Goth. et Cygneis, vbi e Georg. Agricola L. II.
de temperatura Monetarum p. 298. memori-
rat: Veteres bracteas majores c. Oloribus
Zwick. casas esse, ex qua Tilemannus
Frisius: Sie haben lange in Meissen hole
Münzen gehabt, wie deren von Zwickau
hole Pfennige mit den Schwäbien anzeigen,
bis 1300. u. 1400. minores bracte-
cavos, qui vulgo sub Penningorum nomi-
ne veniunt etc. Schlegelius vero ad annum
1500.

judicio, foret istorum numorum nomina & umbras e libris quidem haurire utcumque posse, corpora vero ipsa poscentibus monstrare non posse. *y)*

Sed ut L. B. intelligat, studium hoc Numismaticum etiam Scholæ tyronibus multum utilitatis adserre, paucis, pro angustia chartæ, rationibus id evictum dabitur. Tyronum in scholis, si a pietate & bonis moribus discesseris, potiorem curam versari in linguis, & elegantioribus, quas vocant, artibus pertractandis, ecquis est tam obelæ naris arbiter, quo minus intelligat? Quod, si mihi dederit, dabit etiam, & ambabus largietur manibus, artem Grammaticam tantundem ad sili rectitudinem & elegantiam, quantum jaeta ad prolixorem ædium fabricam conferre fundamenta. Sed quid in hoc studio prius? quid posterius est, quam internoscere literam a littera, a puncto punctum? Ecce autem incomparabilem rei numismatica manuductionem ad primævas, & originarias litterarum cujusque linguae, figuræ! veras, antiquas & genuinas vocum scribendarum formas! & castigationem succendentium temporum scribendi, pingendique rationem! Quæ tormenta interdum ingerunt, quam cruentum figunt dissentibus distortæ illæ litterarum figura in antiquis Auctorum Editionibus, *z)* scriptis diplomaticis & sigillis veterum? non dicam de vocabulorum compendiis, quæ barbare dici solent abbreviaturæ, ad quoruin primum conspectum non aliter, quam nudis, qui pressit calcibus anguem, stupere videntur nostri. Hi, quoties arcuam nostram accedunt, accedunt autem sèpissime, numis terræ orientis & occidua refertissimam, vbique inveniunt litterarum figuræ antiquissimas, & nullæ, (nisi de ea re satis instructo,) legenti pervias, vbique inveniunt Syllabarum ob angustiam paginæ contraciornum figuræ, & imagines, non e cerebello monetari natas, sed publica præfectorum rei numariae, quid Præfectorum? Ipsorum principum & magnatum auctoritate constitutas. Alteram paginam sibi vindicat Historia, Geographia, Geodæsia, Chronographia, Chronologia, Genealogia, Heraldica, Mythologia, Græcorum Romanorumque antiquitates, Geometria, Poësia una cum arte pictoria, sororio veluti vinculo conjuncta, quibus, vt quidlibet audendi semper fuit æqua potestas:

1500 collocat; Horum numorum ali sub Imperatoribus, Lothario seqq. sub Marchionibus Misniæ. El. Sax. Fr. Placido, Alberto, Fr. Sap. Augusto, Ioh. Georg. I. 1620-21, de quo Schmidius in Chron. p. 38. ir. 490. am Montage nach Margaretha hat man wieder in Zwickau zu minuten angefangen, der Münzger Vbr. Prelaus kam von Dresden, und es gieng dabeys so hitzig zu, daß man

auch Schmiede und Schleifer dazu nahm. Schlegel. c. I. p. 77.

y) Habemus eorum non contempnendum numerum, maj. min. in Numophylacio.

z) Quibus scatent plerique latini, græcæ que Autores sec. 1500, seqq. vid. Græcas litteras in Jo. Fult. Edid. 1465. que vix villegenti, etiam oculatissimo, exercitansimo que peruit.

potestas: Ita etiam ad singendum pingendumque discentilis materialia subministrat oppido bonam. Taceo numos variarum virtutum, pietatis filiorum in Parentes, industrie, fortitudinis & constantiae, veri & honesti veluti vivas imagines, quas intendo, perlustrandoque eae ad imitandum accendi possunt Adolescentes, ac Themistocles ad tropaum Miltiadis. Felices! igitur ter, & amplius! discentium animi qui, ut optimorum omissis generis auctoribus Latinorum, Graecorumque: ita haec qualicunque numerorum cognitione tincti & imbuti in Academias evolant. Ita si ne res ex utroque coeli cardine, & viaque Pagani & Christiani orbis republica memorabiles tenellae juvenum memoriae velut herbam in secente praecerpunt, quas in Academia gravioribus studiis intentae, egre addiscerent, & nunquam citra molestiam molitionem & sine longo apparatu comprehendenderent. Rubore suffundi necesse est veteranum militem, qui, si ad armamentarium accederet, ignoret armorum genera, & arma tractandi peritiam, quae tyronibus vix in campum ingressis essent perspectissima. Quā fronte aspicient novitos de re numaria copiose & diserte loquentes illi veterani, qui, quid'era lupinis distent, quid ab antiquis moderni, Gothici ab Episcopilibus, ferrati a lacinatis, a bracteatis concavi, solidi a minutis & vulgaribus differant, ignorant. Nec obflat: multis eruditorum antiquiore aeo vixisse, plures etiamnum vivere, nulla rei monetalis scientia imbutos, nulla rei metallicae doctrina tinctos, in summa apud exterios & indigenas existimatione. Augustinum, praeclarum Hipponeum Doctorem, linguam Graecam ignorasse, nemo opinor, nesciet. Sed quoties, & quantopere ex eadem ignorantia vapulaverit Vir alioquin magistrus, ignorare nemo potest, qui ejus vitae cursum aliquanto accuratius perquisivit, & scripta viri per transennam faltem aspergit. Quid deliciarum & venerum, ne primis quidem labris degustatum, idem ille estate confectus sero nimis doluit? Non mitiora expectabant fata, qui, praecipue hoc aeo, quo numerum studia non calere, sed fervere, & fere ebullire creduntur, inter tot antiquarios & rei numariae magistros, sine ulla numerorum cognitione inoffenso pede succedere posse autumnant.

Super est, vt de dispositione & ordine numerorum nostrorum, cuius supra injecta est mentio, paucula quaedam coronidis loco adjiciam. Anno scil. CLO IOCC XLVIII. die VII. Augusti Numophylacii instaurandi, augendique secunda cura a me suscepta est, re sequentem in modum comprehensa: Aptari scilicet curavi certum quandam mapparum crassiorum modum, & lineis aequali spatio dislantibus interpungi, ita vt eujuslibet numeri, vel dono dati, vel pretio acquisiti valor cum ipso numophilotrum, donationis vel emtionis die, & anno, conspicui possit. Auximus nimisinde ab eo tempore priores sex Tabulas minores duabus & viginti majoribus. Elenchum autem omnium, etiam minutissimarum monetarum, quas filio numismatico, vtcunque potuimus, defini-

wimus, cum ipsis datorum, emitorumque nominibus, & valore inter se consignati
vimus duobus voluminibus, quorum alterum afferatur in bibliotheca, alterum
in curia, vel Tabulario Inspectorum. Jam vero cista habilioris formæ effa-
bricata est, extus atro colore tincta, intus minio stibioque lœvigata, triginta
arcularum duotum capax, cui omne genus numorum, (qui, ut Bibliotheca
nostræ sex annorum intervallo mancipati sunt, sine ullo ordine generum,
majores, minores, aurei, argentei, ærei, cuprei, stannei, plumbæ, commixti
etiamnum jacent, in rudi illa crassaque charta,) novæ cistæ tabulis croceo co-
lore tinctis ordine temporis, terrisque congruo, proximis his diebus inferendum
curabimus. De numis autem in hac urbe cufis, quotquot in arca tenemus, &
rarioribus alis Judaicis, Samaritanis, Turcicis, Perfcis, Grecis, Romanis,
Gothicis, Bracteatis, Concavis, antiqui, medii & nostri xvi, mnemonicis, de
Libris item numismaticis, Bibliotheca nostræ rarioribus prolixe differere super-
sedemus, probe gnari, datus illos materiam peculiaris Argumenti.

Ipse L. B. intelliget, jam receptui canendum, & quicquid supereft angusti
chartæ spatii, concedendum Viris-Juvenibus, vt honesta Majorum profapia
oriundis; ita omnium lectionarum Virtutum, pietatis, obsequii, modestiæ &
industriæ laude, conspicuis, qui de eadem vel diversa materia dicturi, sui con-
veniendi copiam iis facient, qui auditum accendent. In scenam autem prodibunt
hoc ordine:

CHRISTIANVS AVGVSTVS CLODIVS, Annæmontanus Misnicus, filius Patris virginæ, solusque vite successor, qui bona indole
& natura sua, studio item & industria mihi & omnibus bonis spem bonam
injectit sui, & jam ad altiora animum intendit Academæ studia, vt, Deuter O.
terque M. coelesti prouidentia, ita Magistrorum Academicorum prouidentiæ
simæ cura & patrocinio de meliori comendatus, dicet

De priuariis boni Discipuli officiis, cuin priuata industria conjungendis,
Oratione Latina; Addet Odam Germ. qua Charis parentibus, Patronis,
Magistris, Commilitonibus, amicis commendabit memoriam sui.

GEORGIVS GVILIELMVS FERBERVS, Zwickavia-Mish.
Patris Consultissimi, & jam Octauum Consulis, de Republica patria longe
meritissimi, filius natu mediis, vultu & toto corporis habitu ad verecundiam
composito, indole autem & ingenio, ad litteras & Majorum fortunam,
virtutesque veluti nato, qui dum a puero ad hanc usque ætatem Magistros
Lycei Patrii solerter audiuit, sili Romani, & elegantioris, quam in hac arte
Roscio, debet Deckero nostro, scripturæ, egregia dedit specianina: sic in reli-
quis,

quis, quæ ad humanitatem pertinent, studiis ita profecit, ut jam cum fruge ad altiora Doctorum pulpita aspirare queat. Discedere autem noluit, nisi Majorum consuetudine publicis verbis ultimum diceret Vale. Permotus autem caritate patriæ, quæ, Tullio teste, omnes omnium caritates vna complectitur, perorabit:

De præcipuis quibusdam Vrbis Cygnæ laudibus, ex Loci natura, re Politica, Sacra & Litteraria. Valedicet Patriæ, Amicis carmine Germanico.

E V S E B I U S C H R I S T I A N U S H O L L I V S, Kirchbergensis, Pastor, de coetu Ecclesiæ, quæ Christo Kirchbergæ colligitur, optime meriti filius, natu maximus, qui, dum ad elegantiorum literarum, pietatisque studia animum applicuit a puero, exemplum fuit modesti, gnauii & sedati Discipuli, cui vt hactenus bene cupiebant omnes boni, ita proxime abituro bene precamur omnes, Dicit autem

De nimia humorum affluentia, studio Academico noxia. Vale - dicet
Oda Germanica.

C O N R A D U S C H R I S T I A N U S W E I S I V S, Sehma-Misnicius, natus Praetore Prædii Sehnenii Hereditario, viro probō & honesto; Qui, ex quo in nostram concessit disciplinam, Scholæ Ciuem, Magistris auditorem dedit, ejus generis, quem voluit Quintilianus, id est probum, docilem, attentum, memoremque sui. Differet autem

De animo Ciceronis laude digno eodemque vituperando, ex Officiis cognoscendo. Sub finem Aelius succinet abituerintibus acclamatiuncula metro Germ. expressa

C A R O L U S G O T T L O B K R A E H M E R, Zwickavia - Misnicus, nigena, probi dum viueret & honesti Patris filius, de quo meliora omnia sperauit viuus, mortuum autem non fallebat augurium, de filio scil. bona indole prædicto & capaci. Dicit autem de eo:

Quod rei numismatica cognitione multum conferat ad bonos mores. Oratione Germanica.

C A R O L U S H E I N R I C U S A V G V S T U S R I C H T E R V S; Lipsia - Misn. Natales refert Præclaro Patri, Redituum publicorum e re Vectigali Præfecto Regio superiori, filius, Adolescens gnauius pius & honestus. Abituris in Amicitia tesleram acclamabit Epiphonemate Germ. Metrico.

Hunc

QKYe6048

16

Hunc Actum vt Summe-Rev. Ephorus; Consultissimi Patrōni, coeteri-
que Senatores, viriusque Ecclesiae Ministri admodum Reuerendi, Conjun-
ctissimi Collegæ, & quot quod bonis litteris, linguis, & huic Schole Patriæ
bene cupiunt alii, remotis iis, quæ ex offici ratione obrepere solent labori-
bus & negotiis, Honoratissima præsentia sua crafina luce cohonestare dignen-
tur, est quod ab omnibus majorem in modum enixissimeque oro, rogo atque
contendo. Tibi vero Excellentissime Ferbere! Patrone & Compater longe
honoratissime! abitum filii Tui in Academiam ex animo gratulor, vtque pro-
videntissimum coeli Numen ejus, qui proxime discedet, & nostri, qui adhuc in
finu Tuо, vel si maius, nostro, & complexu est, filioli studiis benedicere
pergit, est, quod ego, & omnes boni votis
omnibus exoptamus.

foliib - ch.V. aizor ealculata. doltib. aizorib. minores rivotib.



eo sibillio ye
abhorbita non emittit
abhorbita non emittit

eo sibillio ye
abhorbita non emittit
abhorbita non emittit

eo sibillio ye
abhorbita non emittit
abhorbita non emittit

eo sibillio ye
abhorbita non emittit
abhorbita non emittit

eo sibillio ye
abhorbita non emittit
abhorbita non emittit

eo sibillio ye
abhorbita non emittit
abhorbita non emittit



AN. 231. De Numophylac. Biblioth. Juventus

Ye
6048

LYCEI ZVICKAVIENSIS
INSPECTORES LONGE GRAVISSIMOS

E T,

QVI BONIS LITTERIS FAVENT,

O M N E S

A D

ACTVM VALEDICTORIVM,

CRASTINA, DEO VOLENTE,

LVCE, HORA VIII-IX.

IN PRIMO AVDITORIO INSTITVENDVM

EA, QVA PAR EST, HVMANITATE,

ET REVERENTIA,

I N V I T A T

M. CHRISTIANVS CLODIVS, LYC. RECT.

ET BIBLIOTHECARIUS

SOCIET. TEVTON. UT ET LIBERALIVM ARTIVM LIPS.

ET IEN. LATINAЕ

MEMBRVM HONORARIVM.

A. A. DIONYS. CIO ID CC LV. III. NON. MAY.

